



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Mogvntinum II. In Cavsa Caroli Constantiensis Episcopi, quem
clericu eiusdem ecclesiae ob crimen simoniae & sacrilegii sede deponi
vrgbant celebratum anno Domini MLXXI. tempore Alexandri ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

CONCILIVM MOGVNTINVM II.

ANNO
CHRISTI
1071.

IN CAVSA CAROLI CONSTANTIENSIS EPISCOPI,
quem clerici eiusdem ecclesiæ ob crimen simoniæ &
sacrilegii sede deponi vrgebant celebratum anno Do-
mini M L X X I. tempore Alexandri papæ II.

N O T A.

Causa Con-
cilii.

^a *Concilium.*] Post obitum Rumoldi Constantiensis episcopi Caro-
lus Magdeburgensis canonicus successit. Qui cum processu tempo-
ris pro suo libitu magis quam ex ratione rem gereret, indignantes cle-
rici, inquit Lambertus, a communione eius se abstinere cœperunt, propter
simoniacam heresim, per quam episcopatum usurpasse dicebatur; id quo-
que ei crimini dantes, quod plerosque ecclesia thesauros furtive abstulisset.
Qua accusatione Romanam perlata, Romanus pontifex mandata direxit
Moguntino archiepiscopo, ne villo modo ab eo consecraretur, donec in suis
presentia causa diligentius ventilaretur.

Et sub hoc anno idem auctor inferius de prosecutione causæ: Ca-
rolus, cui rex Constantiensis episcopatum dederat, a fiduciis proclamatio-
nibus pro ordinatione sua sedem apostolicam appellabat; econtra fratres
Constantienses obstinata contentione obluctabantur, ne contra Canonum
instituta is, qui preter simoniacam heresim furi quoque insimulatus fue-
rat, sibi episcopus ordinaretur. Papa, cum ei molesti essent, cognitionem
causæ a se ad archiepiscopum Moguntinum reiecit; insitque ut utrisque
vocatis ad Synodum, rem diligentissime ventilaret. Et si crimina qua obvi-
ciebantur refellere non posset, nulla eum ratione consecraret. Hac de causa
Synodum archiepiscopus Moguntie indixit in mensem Augustum. Rex
concertationē hanc iniquo valde animo ferebat propter amicitiam Caroli,
& plurima seruitia, quibus etiam in re familiaris plerumque sibi commo-
dissime adfuerat; & idcirco munera sua rata ei manere cupidissime vole-
bat. Vnde Moguntino archiepiscopo grauiter succensebat, quod non sta-
tim eum, contemptis obstreptum fratribus simultatibus, ordinasset. Sed
ille immobilis persistebat in sententia; illud præ se ferens, quam terribiliter
anno superiore a papa pro simili causa obiurgatus fuisset, & quam vix &
egre sine damno gradus sui euasisset, & quod postea recentibus literis sedis
apostolicae, ne sine diligentissima discussione manus illi imponeret, commo-
nitus fuisset. Itaque instantibus iam Kalendis Augusti rex Moguntiam
properabat, cupiens ipse in discussione tanti negotii cum archiepiscopo cogni-
tor a sidere.

Et inferius enarrato obitu Lupoldi regis carissimi, quem eo in iti-
nere mori contigit, pergit coepitam ipsam historiam verbis istis: Rex
magnifice ac regaliter curato funere Moguntiam, sicut instituerat, prope-
rauit: cumque statuta die in Synodo cum episcopis assedit, aderat Caro-
lus, aderant & fratres Constantienses, magnam ei molem criminum obie-
ctantes, contra quos rex (quantum salua verecundia poterat) dedita
opera

Indicitur
Synodus
Mogunti-
na in causa
episcopi
Constan-
tienis.

ANNO CHRISTI 1071. opera nitebatur, & modo obiecta purgare, modo pondus obiectorum, que non poterat purgare, callidis sermonibus nitebatur attenuare, plerumque etiam instantium & perurgentium procacitatem verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam, opposita auctoritatis sue maiestate refringere tentabat. Primum & secundum diem in hoc negotio insumpsi. Cum que accusatorum constantiam nec veritate responsionis, nec arte dictio-
nibus eludere posset, ad ultimum probatis que obiecta fuerant criminibus, baculum episcopalem ab eo recepit: verbis tamen exquisitiissimis mesitiam eius consolabatur; promittens quod, dum primum sibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compensaret.

Deponitur
Carolus
episcopus
Constan-
tienis.

Et inferius eodem anno in fine: Carolus, quem ab episcopatu Constantieni deiectum supra diximus, regressus ad Magdeburgensem diaconum, vii. Kalendas Ianuarii obiit. Hunc finem accepit homo cupidissimus gloriae, qui cum malis artibus eam assequi conatus esset, mesquit loco gloriae ignominiam, simulque mortem ex meroe cor excendece percepit.

ANNO CHRISTI 1072. CONCILIVM ANGLICANVM
IN CAVSA PRIMATVS CANTVARIENSIS
super Eboracensem celebratum anno Domini MLXXII.
tempore Alexandri papæ II.

NOTA.

* Concilium.] A&t;a huius Concilii magna ex parte recitata habentur a Vvilielmo Malmesburiensi, de gestis pontificum Anglorum his verbis: Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo se-
ptuagesimo secundo, regni vero Vvilielmi gloriose regis Anglorum & du-
cis Northmannorum sexto, pontificatus autem domini Alexandri papa

A&t;a Con-
ciliū reci-
tantur a
Vvilielmo
Malmes-
buriensi.

* xii. * undecimo, in presentia regis, episcoporum & abbatum, ventilata est cau-
sa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus super Ebo-
racensem ecclesiam iure sua ecclesia proclamabat, & de ordinationibus
quorundam episcoporum, de quibus ad quem specialiter pertinarent, cer-
tum minime constabat. Et tandem aliquando diuersis diuersarum causarum
auctoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis eccle-
sia Cantuariensis ecclesia debeat subiacere, eiusque archiepiscopi, ut prima-
tis totius Britannie dispositionibus, in iis que ad Christianam religionem
pertinent, in omnibus obedire. Subiectionem vero Dunelmensis hoc est
Lindisfarnensis episcopi, & omnium regionum a terminis Licefeldensis
episcopi, & Humber magni flumii, usque ad extremos fines Scotiae, & quid-
quid ex hac parte predicti fluminis ad parochiam Eboracensem ecclesia iure
competit, Cantuariensis metropolitanus Eboracensi archiepiscopo, eiusque
successoribus in perpetuum obtinere concepit. Ita ut se Cantuariensis Con-
cilium cogere voluerit, ubicumque ei visum fuerit, Eboracensis archiepi-
scopus sus presentiam cum omnibus sibi subiectis episcopis ad nutum eius
exhibit, & eius canonicas dispositionibus obediens existat.

Concil. Tom. 25.

Sfff